


05

A

2368





Disputationum Meteorologicarum,
SECUNDA
De
Meteoris Ignitis,

Quam
DUCE CHRISTO
M. MICHAEL VVENDLERUS,
&
HENRICUS ENGENHAGEN
Lubecensis,

publicè proponunt

Ad diem 8. Octob. in Auditorio minori
horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTH Acad. Typogr.
Anno MDCXXXVI

Meteorologiae Ignitis



M. A. S. C. H. A. N. D. E. R. S.

H. O. N. O. R. A. T. I. O. N. E. M. A. G. E. N.

05 A 2368

Abhandlung von dem Meteorologischen
Wesen der Ignitis.

U. O. S. T. A. T. I. O. N. E. M. A. G. E. N.

M. A. S. C. H. A. N. D. E. R. S.

H. O. N. O. R. A. T. I. O. N. E. M. A. G. E. N.

M. A. S. C. H. A. N. D. E. R. S.

H. O. N. O. R. A. T. I. O. N. E. M. A. G. E. N.





Theorema I.

Meteorum ignitum est affectio, quæ fumo vel inflammabili, vel jam inflammato accidit.

1. §.



DE Effluviis, eorundemq; Impressio-
nibus in genere egimus, sequitur, ut specia-
lis de iisdem suscipiatur contemplatio. Quæ
in re, ductamine arbitrarii ordinis observa-
to, initium ab ignitis capimus, de quibus,
tùm in genere, tùm in specie erit tractan-
dum.

2. §.

Philosophus has igneas impressiones simpliciter *flammas*,
Φλόγας και ουμύρας lib. 1. *Meteor. cap. 4* appellat. Alii autores
alia addunt æquipollentia, ita ut vocent *ignitas affectiones, in-*
flammatas impressiones, inflammationes aerias, Meteorum accensa,
ignitas imagines, aspirationes seu expirationes flammeas: *Græci*
Ἰπικαύματα, hoc est, ardores succensos, quod superius incen-
dantur: Item τὰ καθ' ἰσχύσιν Φαιτάσματα ad differentiam
Φαιτάσμάτων καὶ ἐμφασιν. Ptolomeus Ἰπικαύματα: Cicero
speetra interpretatur, cum aliquandiu consistant, & non semper
appareant.

3. §.

Materia ponitur fumus, qui suos habet gradus, de quibus
in disputatione antecedente fuit actum. Quidam enim in in-
feriore, quidam in superiore inflammatur loco, prout vel magis
vel minùs existit viscosus, adeoq; magis vel minùs inflamma-
bilis. Effluvia, quæ ad medium vehuntur locum, quem secun-

A 2

dam

dam aeris regionem vocant, multis vaporibus sunt immixta, ex quibus substantia calida quasi exprimitur, & deorsum pellitur. Causa ergo hujus inflammationis occurrit varia. Nam effluvia hæc pingua & sulphurea, aut semetipsa accendunt, aut ab alio accenduntur. Priori modo, quatenus sese uniunt, atque defendunt contra communem hostem, ut hoc respectu cognatum ad sibi cognatum fugiat: ve etiam quatenus hæc sulphurea & nitrosa materia plurimas in se continet igneas substantias, quæ latent, ut in candelâ nuper extinctâ. Ab aliis per accidens, quatenus à circumstantiâ frigoris comprimuntur & coarctantur. Itaque adhuc ἀντιθέσις videtur habere locum, non secundum sensum veterum, quasi nudæ tantum qualitates fortius unirentur: sed recentiorum, quibus subjecta cum qualitatibus arctius conjunguntur.

4. §.

Forma interna hîc est nulla, nisi eam, quæ est corporum, quibus hæc Impressiones accidunt, agnoscas. Externa verò varia pro variâ materiæ dispositione, prout hæc magna, pauca, crassa, subtilis, variæ efformantur species. Exhalatio enim non continetur propriis terminis, sed modo hanc, modo illam mentitur figuram. Indè Physici notiores & frequentiores annotarunt, iisque, sicut stellis Astronomi, æquivoca indiderunt nomina.

5. §.

Efficiens satis in primâ disquisitione fuit enucleata, ut & Finalis. Finis à plurimis diversus ponitur, quòd exinde de futurâ possimus prædicere tempestate, bellis, atque aliis. Hæc quia dubia, & multis modis impediuntur, eadem fortasse facilitate, quâ afferuntur, iterum refutantur. Non tamen omnia, quæ ab eruditis observata sunt Astrologis, negamus, siquidem sæpius ex horum observationibus innotuit, quòd ejusmodi flammæ morbos, sterilitates, adeoque annonam hominibus attulerint. Hæc veritati maximè consentanea, ut libenter admittimus, ita nec ullo indigent litigio.

Loci

Loci itidem mentio fuit facta, aeris nimirum, in quo varia nobis hæc exhibentur spectacula. Excludimus hîc sphaeram ignis, in quâ, quia non existit, nec has quæremus flammæ. Nec adeò accurata aeris divisio in tres regiones quoad præsens negotium, cum ubique non tantum fluctuantes videamus autores, dum quidam, quæ in primâ, in secundâ, & quæ in tertiâ, in tertiâ dicunt existere regione: verum etiam firmæ rationes contrarium suadeant. Nam Phenomena, quæ in altitudine observanda veniunt, certum & regularem necesse est habeant motum, ut constans observatio, quod una non præstat, eò certiore faciat observatorem. Id satis sidera probatum eunt cœlestia. Jam verò quia hæc ignita spectacula vagabundo moventur motu, tam certè non possumus pronunciarè, quòd hoc meteorum in tertiâ, aliud in secundâ, & aliud tandè in primâ existat regione. Adde, quòd una eademque figura, diverso tamen tempore, ob leviozem vel graviozem materiam in loco vel altiori vel humiliori existere queat. Deindè requiritur, ut sint perpetua, vel ad minimum aliquo durent tempore. Neutrum de his Impressionibus, quia & citò fiunt, & citò dissolvuntur, est affirmandum. Surrepto instrumentorum adminiculo, multò minùs nostro visui est adhibenda fides. Visus enim de altitudine corporis tunc judicat, quando corpus, quod hîc deest, quoddam est intermedium. Igitur necessariò concludendum erit, nos incertos de Meteororum altitudine esse.

7. §.

Quo tempore conspiciantur, & quibus in locis, nunquam tam certè determinabitur. Dicunt quidem, Impressiones has crebriùs in autumnò, quàm aliis anni partibus, generari, quia producuntur ex materiâ calidâ & siccâ, quæ tunc temporis admodum copiosa existit. Nam tempore verno, quia tunc aer paulo humidior est, & Sole hærente in Tauro, atque accedente jam ad Hyadas, pluvix prægnantes: æstate calor est vehementissimus, sole in signis æstivis commorante: hyeme pori terræ sunt clausi, adeoque exhalationes in ascensu impediuntur.

tur. Nocturno tempore maximè conſpiciuntur, non quòd diurno non fiant, ſed quòd ſol ſuper noſtrum Horizontem exiſtens hanc apparitionem tollat. Hæc quàm certa ſint, ex primo exercitio liquet, cùm in his negotiis non tantùm diverſæ regiones, quæ & qualitatibus & materiâ, quæ ad hæc meteora requiritur, à ſe invicem multis differant paraſangis: ſed & diverſi ſint conſiderandi Horizontes. Imò quod hic nos pronunciamus de noſtrâ æſtate, alibi ad hyemem vel auctumnum veriùs applicatur.

Theorema II.

Ignitum meteorum eſt varium.

I. §.

Tantus hîc diverſè ſentientium grex, ut jure applices commune vulgi proverbium: quot capita tot ſenſus, & ſuus cuique mos. Quidam hæc dividunt ratione durationis in *Permanentia & Evaneſcentia*. Quidam ratione materiæ in *Simplicia & Miſta*. Quidam, quòd quædam ſint *Primæ Diſpoſitionis, quædam Secundæ*. Quidam ad motum & quietem fugientes alia faciunt *Mobilia, alia Immobiles*. Quidam tandem ratione trium aeris regionum in *Infima, Media, & Suprema*.

2. §.

Prima firmis non ſtat talis, quia dubium, an Cometa, quem meteorum permanens indigitant, ſit meteorum. Secunda & tertia diſiſiones confundunt Effluvia cum Impreſſionibus, Subſtantias cum Accidentibus. Nam eſſe purum vel impurum, ſeu magis vel minus viſcoſum, item, magis vel minus compositum de effluviis, non de meteoris dicendum eſt. Ita & quarta, quæ à motu & quiete deſumpta eſt, laborat, cùm idem meteorum, quod interdum mobile, alio tempore quieſcat, ob cauſæ externæ moventis vel abſentiam vel præſentiam. Quinta ergo præ his amplectenda, ita ut dividamus meteora ratione locorum, in quibus fiunt, adhibitâ tamen limitatione, cujus in præcedente theoremate meminimus.

Theor.

Theorema III.

*In infimâ aerie regionis parte conspiciuntur
Ignis Lambens, Fatuus, & Draco
volans.*

1. §.

Ignis lambens seu adhærescens, est Ignita Impressio per aerem dispersa, & rebus variis sine nocumento adhærescens. Lambens vocatur, quòd levi tactu, ut vinum chartam, rem quâdam stringat. Locutiones hæ Poetis admodum familiares, *Martiali lib. 14. Epig. 67. Horatio l. carmin. od. 22. Virgilio lib. 2. Æn.* Rebus adhæret variis, videlicet hominum capillis, vestimentis, jubis equorum, militum hastis, antennis navium. Eundem conspici & in terræ cavernis referunt metallici. Sed hîc non meteorum posse saluari, cùm sint igneæ scintillæ, Sagittarius putat.

2. §.

Hanc circa caput Servii Tullii dormientis flammam emicuisse testis *Livius l. 1. Deca. 1. p. 38. & Valerius Max. l. 1. cap. 6. de Prodigis.* Idem, Lucio Martio Equiti Romano in Hispaniâ milites primùm ad conciones vocaturo, totam arsisse cæsariem, referunt: Ille l. 5. Dec. 3. p. 203; Hic l. 1. c. 6. Idem *Virgilius de Ascanio l. 2. Æn.* Hominum capita vespertinis horis magno præfagio circumfulsisse autor est *Plinius lib. 2. cap. 37.* Jenæ puerum detractâ per occiput interulâ scintillas copiosas unâ deterrisse testis est Johannes Jonstonius in Thaumatrographiâ pag. 103. Idem meminit, quòd Caumontiæ Heroinæ in mediis tenebris capillus, dum peçtitur, ignem vomere visus fuerit. Quod è Cardano diversi citant autores, silentio non est involvendum, quòd cuidam Cardani amico primâ noctis horâ in deponendo pallio scintillæ è dorso petasi profilierint. Equis accidisse monet Scaliger. Equum ad cataphracti, inquit *Exercit. 174. usum è Calabriâ candidum habuimus, is in tenebris, ubi strigili*
frica-

fricaretur, scintillas ejaculari videbatur. Idem meteorum visum est Dresdæ post mortem Illustris. principis Electoris Christiani II. piæ memoriæ circa hastam cujusdam militis in statione ad excubias agendas locati.

3. S.

Antennis navium, vel aliis navium partibus adhærescit, & quidem non unâ, sed diversâ facie, ita ut sit vel solitarius, vel geminus. Solitarius, quando est una flamma, quam Helenam vocant: Geminus, quando duplex apparet flamma, quam appellant Castorem & Pollucem. Meminit horum Plinius lib. 2. cap. 37. *Vidimus, inquit, antennis navigantium aliisque navium partibus, seu vocali quodam sono, insistentes, ut volucres. sedem ex sede mutant: Graves, cum solitaria venere, mergentesque navigia, & si in carina ima deciderint, exurentes. Gemina salutare & prospera cursus prænuucia.*

4. S.

Hæ appellationes ex superstitiosis nautis trahunt originem. Nam unam flammam interpretantur infaustam, vel ex observatione quâdam, vel quod opinentur multum adhuc ventorum restare. Hæc est ratio, quare Helenam, quæ speciosa quidem, sed toti Græciæ perniciofa, vocaverint. Geminæ flammæ, præter priora nomina, & alia imponunt. Nam vocant Διὸς κέρεις, id est, Jovis filios. Locus est manifestus in *Adis cap. ultim. v. 11. μετὰ τρεῖς μῆνας ἀνίχθημεν ἐν πλοίῳ Ἀλεξάνδρῳ, ὡς ἔρασημεν Διοσκέρεις. Interdum πολυδωκέα tantum, & πολὺ ἔδωκε, id est, curat, quasi multarum rerum curatorem. Interdum etiam ἀποτροπαίης θεὸς ἀπὸ τῆς ἀποτρέπειν, id est, depulsatores, opitulatores, hanc ob causam, quod mare securum reddiderint à piratis. Indè pro Diis habitum à gratâ antiquitate, quæ pro omnibus beneficiis divinum habebat honorem bene meritis.*

5. S.

Ignis fatuus (aliàs erraticus, fax, candela ardens) est Impressio Ignita, quæ imaginem vagabundi lychni repræsentat. Fatuus appellatur, quod, ut fatui homines, qui instabiles sunt, & fa-

& facile ab uno proposito moventur ad aliud, modo præcedat, modo subsequatur, modo se elevet, modo iterum demittat, atque adeo nunquam certo quiescat loco. Unde Germani vocant einen Irrwisch. Rectius *histrionem*, vel si mavis *Papicolarem Sacerdotem*, einen *Claußler* oder *Messpfaffen*. Convenienter dicitur fatuus, & non stultus, quia majus quid significat. Id, quod innuit sequens Afrani sententia: *stultum quidem me esse non nego, sed fatuum me esse non opinor.*

6. §

Loca, in quibus generatur, sunt calida, in quibus solum vel naturâ pingue est, vel propter cadavera, & crebras vel hominum vel pecudum mactationes halituosum. Hæc est causa, quod hæc candelæ circa loca palustria, uliginosa, ut sunt fodinæ metallicæ, macella, coquinæ, cœmeteria, carnificinæ non infrequentes sint. Videtur hic ignis saltare, vel ob pabulum, vel ob externam quandam vim. Si materia hæc est interrupta, saltat flamma de parte in partem, tanquam simile ad simile: si continua, continuo progrediendo depascitur materiam, dum tota absumatur. *Arnisæus in Epitome Phys. p. 297.* Externa causa tam inconstantis motus est à vento ex diversis locis spirante, atque fumum impellente: vel ab aere, qui, dum movetur, & ignem hunc promovet. Ergo quando jam fugit viator hunc ignem, ibi aer proximè illum ambiens movetur, & sic cum aere & ignis. Si verò præcedat hominem, & hic conatur hunc ignem quasi tangere, aer pellitur, & sic cum aere & ignis: undè viatorem fugit.

7. §.

Duo effectus hujus ignis circumferuntur celebres: primus, quòd viatorem in præcipitia seducat, & in fossas, paludes & amnes præcipitet. Secundus, quòd vel subitâ consternatione, vel venenato halitû obvios exanimet. Prioris causa est, quia viatores, imprimis imperiti, rati, hos ignes esse candelas in proximis pagis lucentes, eos sequuntur, rectamq; viam deserunt, & in vicinos amnes, ad quos, cum ex his perpetui adscendant halitus, tanquam ad alimentum & fomentum feruntur, præcipitantur.

B

tantur.

tantur. *Sennertus in Epit. Phys. pag. 310.* Posterioris causa est
vel subita animi consternatio, vel halitus venenatus, qui vitales
inficit spiritus, adeoque cor ipsum lethaliter gravat. *Keckerm.
l. 6. Phys. p. 343.*

8. §.

Draco volans est Impressio Ignita, quæ figuram volantis
Draconis exhibet. Id nominis adeptus, quòd fumus hic non
uniformis; in medio enim est crassior & ponderosior, ut ven-
tre referat draconis: in extremis verò partibus, in quibus ca-
put & collum figuratur, gracilior. Inter volandum ea pars,
quæ est circa collum, cum undique diffundat fumum, alas ef-
format. Sæpius incubat tectis, fenestris, infumibulis seu cami-
nis, ut videatur sese velle in ipsas ædes immittere. Hinc vul-
gus sæpissimè hujus ædificii hospitem veneficii alicujus incusat.
Causa vera est hæc, quia ex his locis pinguis ascendunt efflu-
via, quæ ad se attrahunt quasdam Draconis partes, tanquam
cognatas, iisque sese agglutinant. In quibus nonnihil remo-
ratur, ut jam Draco insidere infumibulo, inque id se immitte-
re videatur.

9. §.

Sunt, qui horum trium causas naturales posse dari ne-
gant. *Plinius* (loquitur de Castoribus) omnia incertâ ratione,
& in natura majestate abdita, affirmat, lib. 2. cap. 37. *Meurerus*
in question. Meteorolog. pag. 129. opinatur, quòd verisimiliter sit,
peculiari quâdam & occultâ ratione produci hujusmodi flammæ,
(intelligit Ignem lambentem) ad singularem quandam & exi-
miam præstantiam ostendendam, aut ad insigne aliquod facinus
prænunciandum. Hos sequitur *Herlicius*, Clarissimus ille Astro-
nomus, in tractatu quodam de insolito fulmine Anni 1603. *Luthe-*
rus, citante Keckermanno, omnia præter iridem & cometam,
insidiosa & diabolica spectra esse putat. *Bartholinus de igne*
Lambente, quòd plus prodigii & plus occultæ, quàm manifestæ causæ
hic latitet. Ita & *Keckermannus* fatetur, quod hic ignis plurimum
habeat prodigii vel divini vel demoniaci l. 6. Phys. p. 345.

Medio

10. §.

Medio tutissimi ibimus. Ut exempla sunt varia, ita & varia horum reddendæ sunt causæ. Peccaremus sanè, si istius ignis, qui in die Pentecostes linguarum specie Apostolorum capita circumfulsit, causam afferre auderemus, aut etiam istius, quod Funccius & Sabellicus de Bambâ Gothorum Rege adducunt, oleum, quo fuerit unctus, flammulas minutissimas de sese sparsisse: Et de Sancto Martino, quòd, cum primam missam celebraret, ex hostiâ flamma emicuerit. Ita & ad hunc locum referimus Martium Equitem Romanum, ut & Ascanium, nec non exemplum, quod è Cardano citant, cùm eventus, qui vel insignem ostenderunt præstantiam, ut in Ascanio, vel factum quoddam singulare portenderunt, ut Martii Equitis Romani, vel insigne etiam notaverunt facinus, ut in Cardani amico videre est, id satis testentur. Certè de igne fatuo, ut & Dracone non dubitamus, quin ortum suum causis naturalibus debeant. Maximum videtur esse dubium de Igne Lambente, quem diximus superiùs apparere circa hominum vel capita vel vestes, hastas, atque alias quàm purimas res.

11. §.

Magni nominis Physici docent, quòd flamma hæc agnoscat subtilem & pinguem exhalationem ex sudoribus animalium calidioris temperamenti, aut paulò vehementiori motu calefactorum. Ita Curtius de Alexandro refert, quòd, ubi se exercitiis paulò strenuioribus exercuerat, fragrantissimum odorem spa serit, quo totum conclave fuerit completum. Quibus concessis, exempla superius allata faciliùs sunt examinanda, adhibitis aliis circumstantiis, quales sunt, aer vel magis vel minus calidus, ut & præsentia lychni seu facis. Igitur ad causas naturales referimus Servium Tullium dormientem, bina Jonstonii exempla, nec non Scaligeri, cùm idem in fele sæpissimè fieri, quando vel manû tetrum ipsius tangitur, videamus.

12. §.

Idem iudicium de igne, qui navium antennis adhæret, ita, ut, nostro iudicio, nulla exceptio sit hîc instituenda. Nam

B 2

aqua

aqua maris est salſa, imò in multis locis sulphurea & bituminoſa. Navis etiam undique illita est pice contra coeli injurias. Tendit itaque cognatum ad cognatum. Cætera, quæ supra monebantur de uno vel duobus globis, omnibus deſtituuntur fundamentis. Quid ſi tres numerati fuiſſent? Quid ſi aliud meteorum v. g. Bolis idem præſtitiffet? Narrat *Lerius in hiftoriâ navigationis in Braſiliam pag. 321*, quòd ingentem Bolidem ſub ſolis occaſum in aere ardentem conſpexerint, cujus tanta fuerit velis navis reverberatio, ut eâ igne jam correpta eſſe crediderint.

3. 15.

Meminit *D. Petrus Laurenbergius in Acervâ Philologicâ* alicujus oleoſæ materiæ, quam Naphtham vocat, quòd à ſplendore ignis ſine ullo tactu incendatur. *Plutarchus in vitâ Alexandri* uberius de hoc bitumine agens tantam hujus olei refert fuiſſe virtutem, ut, paucis guttis in terram effuſis, ad præſentiam facis in momento totus circumſtans aer arſerit. Idem tentatum ait modò laudatus auctor in quodam Regis puero, qui in balneario hoc oleo illitus ad præſentiam chirurgi facem afferentis ardere cœpit, ita ut etiam totus fuiſſet combuſtus, ſi non Rex & ipſius miniſtri ſuccurriffent. Cauſam aperit *D. Laurenbergius hujus ſubitanei incendii his verbis pag. 135*. *Dieſe urſach der ſchleunigen Entzündung iſt / dieweil auß der Naphthâ herfür rauchen ſehr truckene / ſubtile ſpiritus, die nicht allein leichtlich entbrennen / ſondern ziehen auch zu ſich auß gleichheit der Natur des Feners Flammen.* Adjuvant hoc incendium atomi igneæ in aere hærentes. Ita fortius etiam incendium minus impedit, alliciendo ad ſe flammam, ut Metallici ſæpius cum magno vitæ periculo experti ſunt, lychnum, exorto in fodinis aliquo effluvio sulphureo, fuiſſe extinctum.

14. §.

Igitur in quo loco ejuſmodi unctuoſa materia non reperitur, nec huic hoc inhærebit meteorum, adeoq; non ad naturales,

rales, sed supernaturales causas erit fugiendum. Frustrà laborat Keckermannus in causâ reddendâ prodigii, quod Dresdæ accidit, cum defectus viscosæ materiæ hîc adsit, cum eventus & frequentia hujus prodigii sat docuerit, quid foret dicendum. Nam sapius & hâc nostrâ memoriâ dicunt hunc fuisse visum ignem, inprimis circa Illustris alicujus Personæ obitum.

15. §.

Interdum tamen etiam diaboli, qui hominum perniciem semper meditatur, omnesque occasiones nocendi quærit, illusiones & fraudes hîc occurrere vix negandum esse, ait D. Sennertus in *Epitom. Physices lib. 4. cap. 11. pag. 311.* Patet id ex plurimis Ignis Lambentis prodigiis, quorum cum nulla naturalis causa reddi queat, neque etiam pro divinis sint arripienda, autorem dæmonem esse statuendum dicimus. In igne fatuo tubarum clangorem, & querulas voces esse exauditas, autor est Garcaus atque alii. De Dracone res est in propatulo. Unde Keckermannus dividit hunc in naturalem, & supernaturalem. Sub quâ formâ volantis Draconis Diabolus homini imponit, ita ut quosdam ditet, quosdam permisû Dei spoliet. Georgius Remigius varia de divitiis à Diabolo allatis in libro, quem Dæmonolatriam inscribit, narrat. Non procul à Dantisco Iodices, quæ dealbandi gratiâ Soli erant expositæ, post meridiem à Dracone sunt sublatae, referente Keckermanno pag. 341. lib. 6. Nihil est communius apud agricolas hâc confessione, quòd animadvertant Draconem devorantem frumentum, vaccarum ubera emulgentem, simum in alium locum deportantem. Unde & à conjuratis suis variis colitur ceremoniis, de quibus consule *Keckermannum pag. 342.*

lib. 4. *Physicorum.*

B 3

Theor.

Theorema IV.

*In loco à terrâ paulò remotiori, seu, in secundâ,
ut loquuntur, aeris regione, fit fulmen.*

1. §.

Et hoc dignum est speculatione, cùm multa, quæ dubia sunt, hîc occurrant. Ex composito annectimus hanc limitationem, quia hæc divisio aeris in tres regiones, ut antea monuimus, non semper eadem, sed miris variat modis. Adde, quòd nubes, intra quas hoc fulmen generatur, prout vel minùs, vel magis graves, modò humiliori, modò altiori subsistant loco. *Fulmen de eâ exhalatione hîc dicitur, quæ addensata & conglobata nubem longiori tractû pertundit, findit, dirumpit, & terram violenter attingit.*

2. §.

Fulmen est ignita impressio ex nubibus, intra quas detinetur, violenter ad terram detrusa. Ascendit hic vapor cum fumo, ita ut hæc effluvia maximè impura, frigida, calida, sulphurea, nitrosa, adeoq; ad inflammationem facilia. Subjectum propinquum est nubes. Nam ubi ejusmodi halitus nitrosi sursum invisibiliter elevantur, à ventis oppositis, seu frigore, à nube, ceu cute, vel cortice, obducuntur. Vel simile hîc ad simile sui conservandi causâ fugit, ut ita alterum ab altero separetur. Indè adeò coarctantur, ut exitum quærentes, discissis nubis lateribus, confertim magnâ vî magnoq; impetû erumpant. Et quia hæc materia benè compacta, non ut reliqua Meteora, in aere dispergitur, sed in terram usque fertur.

3. §.

Non tamen hoc universale, cùm etiam coelo sereno quæ fulmina, quæ tonitrua, fuerint facta. Civem quendam luce serenâ fulmine fuisse percussum refert *Cicero lib. 1. de divinat.* Idem *Plinius lib. 2. cap. 51.* annotavit. Accedit testimonium *Senecæ quest. natural. lib. 2. cap. 20.* quòd, Ætnâ aliquando multo igne abundante, plurima fuerint tonitrua & fulmina. Hæc procul dubio

dubio ex spiritu & exhalatione calida in terra cavernis contenta, & magno impetu genita fuisse: vel etiam concursu aridorum corporum, non nubium, quas verisimile est, in tanto ardore nullas fuisse, censet Exper. Sennertus in Epic. Phys. pag. 315. Nam hæc materia aucta & stimulata ubi per foramina eliditur pro diversa horum vel amplitudine, vel angustia & tortuositate diversos emittit sonos: hi dum in aere reperiuntur, non aliter, ac si ingentia tormenta bellica explosa, tanto fragore totum supra nos aerem feriunt, ut cœlum ipsum tonare videatur. Vel, si mavis, posteriorem arripientes sententiam, in ipso aere fieri dicemus, eadem de causa, ob quam stellæ cadentes, & lanceæ ardentes, adeo ut hæc materia viscosa ob fumorum copiam absque nubium circumstantia incendatur, & propter viscositatem, quæ magis coarctata, diutius accensum nutriat ignem, & tandem cum impetu terræ incumbat. Hæc magis arridet, cum secundum prius effatum, homo per cuti non possit, quia tantum tonitru, non verò fulmen.

4 §.

Fulmina hæc generantur præcipuè iis in locis & temporibus, ubi aer temperatus quodammodo existit. Nam frigus vehementius vel terram claudit, vel halitus ascendentes, extincto in his residuo calore, nubes efformant. Unde in tractibus aquilonaribus, & apud nos hyberno tempore ob eandem causam nec fiunt fulmina, nec tonitrua audiuntur. Idem & nimius efficit calor, qui evaporata effluvia attenuat, ne in nubes, quales ad fulminis $\epsilon\kappa\theta\lambda\iota\psi\iota\upsilon$ requiruntur, condensentur. Hinc à fulminis jactu immunes Ægyptus, Æthiopia, & plerisque in locis & Anglia, ut & apud nos dies caniculares. Locis verò intermediis, ut & anni temporibus, hæc sunt frequentiora. Ob quam causam in Italiâ creber fulminum jactus: & apud nos circa æstatem, quæ veri Italico respondet, cum ver & autumnus hinc sæpius ad frigiditatem inclinent. Unde ob eandem aeris constitutionem, ut in Campaniâ tam æstate, quam hyeme, hæc fiunt. Verum hæc omnia, si cætera fuerint paria, locum habent. Nam in hoc negotio subjectum, ex quo ejusmodi

exha-

*Fulm en requirir
temperatum*

*Hyeme non fiunt
fulmina*

*Ægypto, Æthiopia,
immune sunt à
fulminibus & sunt à
calore*



exhalationes extrahuntur, non esse omittendum, in primâ dis-
quisitione monuimus. Ergò in regione, ubi hæc nitrosa & sul-
phurea materia deest, ibi uec extrahitur, quomodocunque et-
iam aer sit dispositus.

Theorema V.

*Fulmen est triplex: Terebrans, Discutiens,
atque Urens.*

I. §.

Tot species omnes fermè pro materiâ viriumque diverfi-
tatem numerant. Terebrans (*aliàs scindens, flammiferum, cla-
rum, tenue, candidum, luculentum*) quod terebrat, flammeum &
subtile est, ita ut huic per angustissima quæque pateat aditus.
Hinc Græci hoc *δερνίτρω*, hoc est, *iners, seu torpidum, per
quandam antiphrasin, quòd minimè sit iners, sed velocissimè pene-
tret*, vocent. Huic peculiare attribuunt effectus, quòd homi-
nem, salvis vestibus, in favillam redigat, quòd foetum, illasâ
matre, in utero extinguat, quòd æs atque argentum, oculis in-
tegris, & gladium, salvâ vaginâ, liquefaciat, quòd, intactâ chi-
rotheçâ, manum lædat. Nam hæc materia tam subtilis est, ut
corpora porosa, utpote minùs resistentia sine ullâ evidenti notâ
penetret: objectam verò rem resistentem priùs, quàm aduri
possit, perdat. Undè *U non Urens* dicitur.

Effectus.

2. §.

Dissipans (*aliàs Discutiens, Plinio Siccum, Arist. πένυλλο-
κόν*) spiritû constat subtili, nitroso, sulphureo, igneo & pro-
celloso, qui est conjunctus cum quodam materiæ lentore. Hoc
quia redit per foramen per quod est ingressum, tantum rum-
dit, & quidem cum morâ quâdam ea corpora, in quæ incidit,
sed non perforat. Ferit arbores, turres, ædificiorum partes si-
ne ullâ adustione ob materiæ subtilitatem. Dicunt, quòd is,
qui prior hoc videat, & tonitru audiat, hoc fulmine non læda-
tur. Nam præcedit hîc venenatus quidam aer, qui ferit, ante-
quam, vel coruscatio videatur, vel tonitru audiatur.

Effectus.

Urens

3. §.

Urens (*aliis infuscans, quòd multum humidum contineat, ac propterea citò non inflammet, sed tacta denigret. Plinio humidum, item Φυλόεις, seu fuliginosum*) cujus spiritus est crassus atque igneus ob terrestri materiae varietatem. Triplicem edit effectum corpora vel infuscando, vel comburendo, vel accendendo. *Potest quippe, inquit Keckermannus, aliquid uri, non tamen ardere, aut combustum esse, quod non sit accensum: ardere tamen nihil potest, quod non uratur, etsi accensum aliquid esse nequeat, quod non sit combustum.* Inde minus est noxium, cum hujus spiritus minus sint penetrantes, minus subtiles, & minus venenati. In corporibus quae tangit, magnas ignis notas relinquit ob moram, quam causatur crassities.

Effectus.

Theorema VI.

Affectiones fulminis sunt tres: Tonitru, ^{sub}Coruscatio, & Lapis fulminaris.

1. §.

Tonitru dicitur à tonando & ruendo, vel à tonum iterando, quòd cum magno sonitù irruat. Est sonus factus ob nitrosi spiritum conclusum, exitumque quærentem, & subitam aeris refractionem. Dedita operâ hæc conjungimus, cum nitrum ad tantum sonum ciendum non sufficiat, nisi coarctetur, & forti impetu aerem frangat. Exempla suggerunt bombardæ, vesicæ inflatæ, quæ vi conculcatæ magnum edant sonum, pannus violenter abruptus, & castanæ igni subjectæ. Indè tonitru vel magnum vel parvum, prout multum vel parum nitrosi effluvii, & aliter atque aliter nubes est disposita.

2. §.

Coruscatio (*aliàs fulguratio, fulgerum, & fulgur, quæ nobis hic sunt equipollentia scrupulositatem non ita estimantibus*) est flammæ micatio orta ob sulphuris & nitri incensi vires latè & subito certum terræ tractum illustrans. Major vel minor

C

hæc

hæc est ob majorem vel minorem sulphuris copiam. Vis hæc neque à sulphure solo, neque à solo nitro dependet, sed ab utroque. *Sulphur quidem promptè flammam concipit, sed tardè deflagrat: nitrum verò non tam facillè inflammatur, sed semel accensum subito & quasi uno momento deflagrat.* Color hujus coruscationis est varius, modò albus, modò fulvus, modò ruber, ob diversam sulphuris, quod Chymici pro primo coloris sub-
jecto agnoscunt, misturam.

3. §.

Lucem huic doctrinæ addunt operationes Chymicæ. Nam ex his (verba sunt D. Sennerti in Epitome Pòys. lib. 4. cap. 2. pag. 314.) clarè videre est, quotiescung; Nitro sulphuris accensi portio aliqua accedit, strepitum & fragorem ingentem edi. Id quod in pulvere pyrio bombardarum videndum, & præparatione Nitri, quam salem prunellæ appellant. Neque hoc solum sulphur commune præstat: sed & sulphur mineralium & metallorum, dum Nitrum ipsi conjungitur, ut ex calcinatione Antimonii per nitrum patet: imprimis vero ex auro fulminante, quod ingenti & longè majori impetù accensum, sed deorsum ferit, quàm pulvis pyrius fulminat. Neque ignotum est, ex nitro, sulphure, calce vivâ & bituminibus misturas fieri posse, quæ humidi adspersione, vel etiam sputo saltem accenduntur. Et paulò post ibidem concludit. Itaq; ut pulvis pyrius facillè flammam concipiat, habet à sulphure: ut verò tam subito totus conflagret, à nitro est, & ex eo totus iste impetus. Huc usque Exp. D. Sennertus.

4. §.

Itaque primò ex hæcenus dictis differentia patet inter fulmen, tonitru & coruscationem. Fulmen est spiritus tenuis, nitrosus & sulphureus, qui, quòd benè conglutinatus sit, usque ad terram defertur. Fulgur verò, quia huic vis est levior, & minus alimenti, tantum in aere splendet. Tonitru tandem sonus in nube auditus. Innotescit secundò, quare fulminis, tanquam principalioris, à quo denominatio fieri debet, mentionem fecerimus. Fulmen enim nunquam sine tonitru & coruscatione ob firmam nitri & sulphuris conjunctionem existit, ut
indè

*Differentia
aëtionum
Fulminis.*

indè commodè concomitantia, seu affectiones dicantur. Tandem & illud, quòd tonitru sine coruscatione, & contrà hæc sine illo frequenter fieri possit, cùm in tonitru non semper fiat accensio, micatio verò ob infirmam sulphuris & nitri conjunctionem. Quo ultimo respectu si considerentur, non videmus, cur Coruscatio & Tonitru non possint accipi pro distinctis Meteoris, cùm solitariè fiant.

5. §.

Tonitru naturâ prius Coruscatione, hæc verò prior visû, sicut concussio silicis & chalybis igne. Ratio ex modo audiendi & videndi desumitur, quia species, ut ita loquar, audibiles minus spiritales, ideoq; dum per varias circumgyrationes ad auditus organon deferuntur, ad subitam propagationem minus aptæ: contrà visibiles magis spiritales, adeoq; ad propagationem magis aptæ. Hinc in explodendis bombardis prius quàm sonus audiatur, lux cernitur. Idem patet in lignis findendis, lavantibus & remigantibus.

*Coruscatio s. visus
prius conspicitur
quàm tonitru
fitur.*

6. §.

Interdum cum fulmine Lapidem, quam Cerauniam vocant, item telum Jovis, telum fulmineum, lapidem fulmineum, vel cuneum fulminis, decidere multæ testantur experientiæ. Num verò integer in aere, ut multi volunt, generetur, an demum in terræ cavernis, fundamento in aere jacto, perficiatur, disputant. Albertus & Agricola, citante Bartholino, adverterunt cum fulmine generari ferrum & chalybem, atque in terram demitti. Nam non repugnat, quòd minus ejusmodi materia ex metallicis terræ cavernis sub specie atomorum extrahatur, & cum halitibus elevetur. Non verò cum quovis fulmine ob seminalis principii, quod non quivis locus alit, defectum.

Theorema VII.

Effectus fulminum sunt varii.

1. §.

Præter superiores effectus fuit observatum, i. quòd fulmen

C 2

doliuro

dolium frangat, vino per triduum aut biduum consistente: 2. quòd
cerevisiam & vinum corrumpat, dolia ex hauriat, intactis operi-
mentis, nulloq; alio vestigio relicto: 3. quòd nonnunquam unum la-
das, alterum propè sedentem non tangat: 4. quòd animalia non
venenata veneno imbuat, venenata autem veneno privet: 5. quòd
dormientis, quem tangat, oculos aperiat, vigilantis claudat: 6.
quòd retia in mari fulmine amburantur.

2. §.

Hi sunt nobiliores, quorum causa nobis investiganda, à
variis autoribus annotati effectus. Tò òn primi quæsitì & ve-
teres & recentiores unà cum experienciâ confirmant. Tres hu-
jus stupendi effectûs afferuntur causæ, quas inter hæc nobis ar-
ridet. Fulmen multum sulphuræ materiæ in se continet, quæ
citiùs ob subtilitatem per poros penetrando in totam vivi sub-
stantiam spargitur, idq; suâ sulphuræa qualitate imbuit, ut in-
calescens dolium vel frangat ob loci angustiam, vel etiam ob
vehementiorem vim comburat. Hinc lenta quædam materia
progerminat, quæ à calore foràs expulsa in exteriori vasis su-
perficie à circumstante frigore in morem pelliculæ condensa-
tur, à quâ vini liquor, ceu circumposito corio, retinetur. Ta-
lem pellem à vino posse gigni ostendit psillius herba.

*Fulmen fran-
git dolium.*

3. §.

Et secundum effectum experientia asserit, quòd cerevisia
in cellis, arcore contracto, corrumpatur, & vinum, genuino &
calore & sapore amisso, depereat. Hoc tamen tantum de ce-
revisiâ & vino multi caloris & pinguedinis est capiendum. Si
fulminei spiritus fuerint subtiliores, irretiti calidioribus vel vini
vel cerevisiæ spiritibus fiunt fortiores, & vasculi compages dis-
solvunt, similibus omnibus simul evocatis, adeò ut cerevisia fa-
cilè acefcat, & vinum nativâ bonitate destituatur. Sin verò
multum sulphuris admixtum, interioribus partibus adustis, vi-
num effunditur: sed ob pluviosam aeris constitutionem ar-
ctiùs sese constringunt, ne vestigium vel fracti vasis, vel
effusa

*Fulmen vinum
cerevisiam cor-
rumpit.*

effusi vini à terrâ, vel aere, vel calore absorpti, appa-
reat

4. §.

Exemplum tertii effectus recenset *Garcus part. 3. Meteor. cap. 40.* de Hieronymo Fracastorio, quòd à matre in ulnis gestatus, illæsus, matre à fulmine sublatâ, permanserit. Causa hujus dissimilis eventûs est, vel in hujus subtilis & pauci spiritûs disgregatione, vel temperamenti disparitate. Posito, quòd spiritus hic utrumque ambeat corpus, non tamen in utrumque agit: sed magis ad illud inclinât, in quo plus alimenti invenit. Ob eandem causam sæpè canem lateri hominis adhærentem, salvo homine, interficit.

*Fulmen unum læd
alterum non tan-
git.*

5. §.

Quartum exindè colligunt, quòd in serpente, aliove venenoso animali, si fulminis ictû intereat, vermes generentur: hominis verò, vel alius animalis caro non aliter, ac si sulphure esset adpersa, ad hanc generationem planè sit inepta, & quòd carnivora animalia ab hujus esu abstineant. Priorem effectum dicunt non esse sperandum, cum venenum prohibeat gigni animal vivum. Ergò caret veneno. Nam fulmineus spiritus nativum humorem venenosum extinguit, secumque, si diutius in animali moram facere nequeat, aufert. Hoc videre est in bufone, vel Scorpione, qui vulnèri inflictò admotus venenum ad se foras elicit. Ita & posterioris ratio desumitur à fulmineo isto spiritû, qui, dum materiam sibi repugnantem invenit, fortius agit totum sanguinis & spirituum massam inficiendo, ut dissipari non possit.

*Fulmen aialia non
venenata venen-
ambuit, venenata
veneno privat*

6. §.

Restant ultimi. Dormientes, qui fulmine percutiuntur, aperti repeririur oculis, vigilantes clausis. Homo n., dum à fulmine læditur, oculos in momento aperit, quos primo occursum obvios invadit, atq; , humore sub ciliis facile absumpto, oculos reddit patentiores. In vigilantibus verò, quia ob repentinum fulmen calor intrò fugit, externa corporis membra relinquuntur frigida, adeoq; supercilia præ stupore sensum delabuntur. Ob ean-

*Fulmen oculos a
mientis, quæ
dit, claudit mi
sed aperit, v
tis v. claudit*

dem causam vulnera fulmine ictorum apparent frigida. Spiritus denique hic retia in mari amburit atque infuscat, quamvis non planè comburat, ut materiam combustilem, aquâ marinâ in hunc ob celeritatem non agente, cum mora quædam necessariò requiratur, si aquæ frigiditas in spiritum illum agere debeat.

7. §.

Fulmine non feriri hyacinthum, Laurum, vitulum marinum atque aquilam quàm plurimi asserunt autores. Contra fabulosa hæc esse magni nominis viri reponunt. De hyacintho disputat Scaliger contra Cardanum *Exercit. 113.* Laurum aliquando de cælo tactam esse narrat Vicomercatus *ad lib. 3. Met. cap. 10.* De vitulo marino atque aquilâ Connimbricenses docent, hæc animalia tacito naturæ instinctu fulmina præsa-gire, seque per id tempus in tuta recipere loca.

8. §.

Contra quædam offenduntur, quæ magis fulminis ictui obnoxia, ut sunt primò canes, feles & capræ, & secundò loca editiora, ut altissimi montes, turre, templa & arbores. Prioris causa, quòd ex horum animalium corporibus egrediantur halitus, qui spiritum hunc, ut materiam cognatam, sequuntur. Posterioris, cum naturalia fortiùs agant in propinquum, quàm in remotum. Vel, quòd ex his locis itidem pingues mittantur spiritus, ad quos pro alimento sibi aggregandos fulmen inclinat.

Theorema VIII.

In superiore aeris parte fiunt Stelle cadentes, Columnæ, Capræ saltantes, Scintille volantes & Chasmata.

1. §.

Inter ignitas Impressiones, quæ in remotioribus generantur locis, frequentissima est Stella Cadens, quæ ex effluvio calido &

lido & sicco supernè producitur, ubi accensa deorsum tendit, ut ita formam decidentis stellæ repræsentet. Stella dicitur ob similitudinem: cui apparentiæ ansam præbuit halitus aliquo tempore consistens sub aliquâ stellâ. Varia huic adsignantur nomina, qualia sunt, *stellarum discursus, trajectiones, emunctio- nes, sidem volantia*. Quidam tamen distinguunt stellam vo- lantem à discurrente. Nam quando materia in longum est porrecta, ab unâ parte ignem concipit, qui, dum continuò per partes lineæ discurret, unius partis inflammatio videtur loco mutato quasi discurrere. Hujus exemplum est in filo incru- stato pulvere, in quo ductû libero flamma dirigitur ab extremo ad extremum. Quando verò inflammatio hæc in unâ parte hæret, & à vento agitur, sidus volans vocant. Hoc Meteo- ron interdum sub nubibus conspici autor est Arnisæus.

z. §.

Eadem materia, pro ut vel conjuncta, vel disjuncta est, alia sortitur nomina. Quando incendium est continuum, ut speciem columnæ exhibeat, Trabem seu Torrem indignant. Nam cum huic fumo multum terrestri materiæ insit, id, quod leve est, elevatur in altum, residente gravi terrestri: undè & ignis Perpendicularis seu Pyramis dicitur. Magna hîc est autorum inconstantia circa horum Meteororum denomina- tionem, ut ex Connimbricensibus & Keckermanno liquet. Ve- rùm hoc litigium vix uno obulo est dignum, cum sit de nomi- nibus, quæ rei instar Protei varias assumentis formas imponun- tur. Nos ut paucis rem expediamus, cum Exp. Sennerto statuimus, quòd cum his Impressionibus idem ferè esse videa- tur, quod Lanceam ardentem, jaculum, bolidem & sagittam appellitant. His enim denominationibus designantur hæ for- mæ, quæ, exhalationibus in longum vel latum in quamcunque mundi partem protensis, partesq; æqualis crassitie obtinenti- bus, hasta vel jaculi imaginem exhibent. Huc referimus can- delam seu facem accensam, lampadem, quæ constat ex fumo in longitudinem disposito, atque æqualiter denso.

Ubi

3. §.

Ubi materia disjuncta fuerit, vel cum quâdam deformitate distincta, Capras saltantes, quòd flamma respectû pabuli situm altiorem, humiliorem & lateralem habentis, de loco ad locum feratur, nec aliter, atque lascivientes hæduli, subsulter, appellant. Exemplum hujus est in pulvere bombardico, si diversi acervi congesti, interpositis paucioribus granis materiam continuantibus, accendantur. Si materia fuerit divisa, & in multas, minutasq; partes dispersa, quarum singulæ instar stipularum inflammantur, *Scintillas volantes, stipulas ardentes, & paleas ardentes* nominant. His Chasmata, seu *hiatus* $\delta\pi\omicron\ \tau\epsilon\ \chi\alpha\iota\nu\omega$, id est, *bio*, adnumeramus, quæ non in frequenter apparent, quando fumus in summum aerem elevatus, atque inæqualiter accensus cœli dehiscentis seu ardentis figuram repræsentat. Hiatus indè, quia partes extremæ accensæ sunt clariores, adeoq; videntur propriores: mediæ verò quia non accensæ, obscuriores & remotiores apparent.

4. §.

Hæ sunt formæ potiores. *Præter has infinite alia, quæ incautioribus sæpè pro prodigiis imponunt, ut ex fortuitâ materia dispositione suboriuntur, ita & in nubibus apparent. Nec magnoperè curandum, quomodo hæc tam inordinata materia vel definiatur, vel in quo loco appareat. Multò minus mirandum, si hæc discrepent autores sententiis, ita ut, quæ nonnulli ad supremam aeris regionem referunt, ea alii dicant in mediâ generari, & quæ ad mediam referunt, alii nonnulli infimæ adscribant.*

Theorema IX.

Quorundam Cometarum hospitium videtur esse aer.

I. §.

Ad ultimam descendendum nobis erit contemplationem, quam ita sumus proposituri, ne vel in excessu vel defectu peccemus.

ce mus. Nulla certè res in totà Physiologiâ est, siue in elemen-
tis reperitur inferioribus, siue desuper in cœlo ipso, quæ magis
discrepantes Philosophorum opiniones peperit, quàm ortus
Cometarum per suas causas ostendendus. In excessû peccant
cum Philosopho Garcaus, Keckermannus, Combachius, at-
que alii quàm plurimi, dum omnes Cometas ex exhalationibus
esse genitos asserunt, & eruditas eruditorum Mathematicorum
observationes invalidis impugnant arietibus. Quorundam
fanè, de quibus jam noster sermo non est, hospitium esse cœ-
lum Parallaxes demonstrant. In defectû ii delinquent, qui
aeriis remotis, omnium locum pronunciant esse cœlum. Ita,
*Clariss. Rhodio p. m. in quâdam disputatione de Parallaxibus mo-
nente*, Chaldæi ante Aristotelem Cometas ad stellarum nume-
rum referebant. Sic hodierni Tycho, Rhotmannus, Severini,
Rhodius & alii idem defendunt dogma.

2. §.

Ceterum, salvâ tantorum virorum autoritate, nec desunt,
quibus (*Bartholino nimirum, Arniseo, & Lunemanno, Matheos*
*in Academia Regiomont. Professori, qui nuper eruditam de Come-
tis scripsit disputationem*) distinctio inter aerios & æthereos pla-
cet. Eandem videntur probare sequentiâ documenta. In Ca-
talogo Cometarum Lateranus inquit, anno 1303. *Cometam*
*visum, tanquam columnam igneam de cœlo cadentem, & in mo-
mento reascendentem.* Idem anno 1099. *Cometam fuisse visum*
in Oriente, qui locum suum interstitio saltibus mutaverit. Arist.
lib. 1. cap. 7. facit mentionem Cometæ, qui quodam veluti saltû
progressus fuerit. In eodem aliquot *Comete recitantur, qui flam-
mas vomuerunt*, ut anno 1007 horribilis Cometa fulsit flam-
mas undiq; ejaculans. Cardanus de Cometis, qui annis 1200.
& 1510. apparuerunt, narrat, quod ex his lapilli quidam sulphu-
rei deciderint. Keckermannus ex Scaligeri Præceptore recitat,
in Lombardiâ *Cometam instar ignei pavonis per aer. m. voluisse, è*
quo, cum evanisset, tres lapides decidisse sulphureos.

D

Ex his

Ex his observationibus, si sunt veræ, sequentes extruimus, rationes:

1. *Quicquid in momento se dimittit, iterumq; ascendit, ita ut quasi saltet, illud non est stella,
Quidam Cometa &c. E.*
2. *Quicquid flammæ evomit, illud non est stella,
Quidam Cometa &c. E.*
3. *Quicquid emittit excretiones sulphureas, illud est sulphureum,
Quidam Cometa &c. E.*

Jam, nomine stellarum his Phœnomenis denegato, ultrò sequitur, cum in altis videantur, quòd in aere ex effluviis multis pinguibus & sulphureis generentur, adeoq; Theorema probatum fuerit, quorundam Cometarum hospitium esse aerem.

Horum cognata sunt omnia, quæ in supremâ aeris regione ex materia non dissimili à Cometarum materiâ oriuntur.

F I N I S.



Ad Dn. Respond. amicum & collegam
diligendum,



*I*gnea proponis, cum mentis & igneus
ardor,
Qui temnit, quæ sunt conquatienda
pede.

*I*gnea vis constat varias assumere formas,
Ignis ut est fatuo, Fax, Draco, Chasma, Bolis.
Tot tibi non formæ, pulcrum quia mentis acumen
Et mores debent condecorare boni,
Nunc vice te primam noster suggestus adorat,
Idem quem capiet terq; quaterq; brevi.
Nam post hunc (sic stat sententia firma) labore
Pectore perpendes sidera mille tuo.
Auguror hinc magnum, si sic perrexeris ire,
Quæ mihi, dum quæris, nil nisi magna notant.
Præses.

Ignea dum tractas altè pendentia, virtus
Proditur & studium, sacer impetus, improbo ardor.
Scilicet igne sacro totus feliciter ardes:
Flamma cruentatos fibris infixæ canales
Permeat; ac artus, velut Afros Cancer, adurit.
Scilicet haud cupidus studiorum quisq; suorum est,
Ut te nocturnis juvat impallescere chartis.
Illa superponet famam variabile sidus
Flamma, superponet stellas Erymanthidos Ursæ.

Michael Rager Palat.

Ad Dn. Respond. amicum & collegam
diligendum.

Deo propitio, cum mentis & ingenii

ardor,

Quotiensque suis cogitationibus

haec perhaec.

Igitur tu consistat in officio assidue fortiter,

quod ut est factus, tam Deo, tam hominibus.

Te tibi non fore, quod non per te mentis acumen

Et magis debent contemnerent boni.

Quare tunc te per me velle suggestus adorat,

Idem quoniam capere ter quatuor hinc.

Non autem quod sic sit potentia formae laboris

Per te per te per te per te per te.

Auguror tunc in agere, si sit exercere tunc

Quae minima quae minima non agere volent.

Præter.

Quae dicitur tunc alii reddenda, vultus

Proditor & studium, factumque, impudens ardor

Sollicitudine facta totus tunc ardor

Flammam tunc tunc tunc tunc tunc tunc

Formae de tunc, vultus tunc tunc tunc

Sollicitudine facta tunc tunc tunc tunc

Et te tunc tunc tunc tunc tunc tunc

Ille super tunc tunc tunc tunc tunc

Flammam, super tunc tunc tunc tunc

Michael Rayer Palat.




05 A 2368

ULB Halle

3

003 784 363




1077

Bt 1







Disputationum Meteorologicarum
SECUNDA
DE
Meteoris Ignitis,

Quam
DUCE CHRISTO
M. MICHAEL VVENDLERUS,
&
HENRICUS ENGENHAGEN
Lubecensis,

publicè proponunt
Ad diem 8. Octob. in Auditorio minori
horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.
Anno MDCXXXVI.

